

ubicata, seu alicubi existens; quæ denominatio, cum sit realis, nec ad aliud prædicamentum atinet, proprie spectat ad *Ubi* (1).

Proprietates
ubicacionis.

376. Quæres 4.^o *Quenam sint ubicacionis proprietates*. Duas assignat Gilbertus Porretanus in suo opusculo *de sex Principiis* et Auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis*: primam, *non suscipere magis et minus*, intellige secundum intensionem, nam secundum extensionem potest *Ubi* habere latitudinem, siquidem potest idem corpus spatium majus vel minus occupare; et eadem etiam anima rationalis, crescente vel decrescente corpore, quod informat, latius aut minus late præsentiam suam localem exhibet. Secunda proprietas est, *non habere contrarium*, contrarietate nimirum strictè sumpta pro summa sub eodem genere distantia formarum in eodem subiecto insociabilium; nam in sensu lato vel minus proprio sumpta pro contrarietate, quæ reperitur inter terminos aliqujus latitudinis, quatenus ab uno in alium successive transitus fieri potest datur contrarietas seu repugnantia conjunctionis inter ubicaciones supernam et infernam, et hoc modo etiam motus sursum et deorsum dicuntur contrarii, eo quod versus terminus contrarios tendant (2). Addi potest alia proprietas hujus prædicamenti, videlicet *Ubi esse immobile*. Nam singulæ rerum ubicaciones ita fixæ sunt, ut nequeat ullum *Ubi* alio transferri; si enim res alio transfertur, suum præcedens *Ubi* amittit, et novum acquirit (3).

Quæri posset hic utrum idem subiectum possit simul plures habere ubicaciones. Verum hæc controversia agitata est in *Cosmologia*, ubi sermo erit de corporum replicatione.

ARTICULUS III.

De Situ et Habitu.

Quid situs.

377. Situs est aliquid proprium dumtaxat corporum, et in triplici significatione sumi potest: primo enim vulgari sermone accipitur pro loco extrinseco, in quo sita res est, ut

(1) Lossada, *Metaphys.*, loc. cit., n. 122.

(2) Vide Suarez, loc. cit., sect. 6, n. 10 seqq.; Lossada, *Metaph.* disp. 3, cap. 6, n. 124.

(3) Cfr. Suarez, loc. cit., n. 10; Mauri, loc. cit., quæst. 27, ad 3.^{um}

si dicas portionem terræ, in qua domus ædificata est, esse situm illius. Secundo potest significare quamdam relationem ordinis, ut esse sursum vel deorsum, in priori aut in posteriori, in digniori vel minus digno loco: quæ relatio quando realis est, ad prædicamentum *Ad aliquid* spectat. In tertio denique sensu situs est *positio seu ordinatio partium in loco*, ut *stare, sedere, cubare* etc. Et in hac tertia significatione situs constituit speciale prædicamentum; quamquam difficile sit explicare, quid novi reperiatur in situ, quod ad alia prædicamenta non pertineat. Nam «in positione partium in ordine ad totum aut consideratur *Ubi* uniuscujusque partis: et hoc non est nisi partiale *Ubi* totius, unde ad idem prædicamentum reducitur tamquam quid incompletum: vel consideratur integra dispositio subiecti, quæ ex partibus sic situatis consurgit; et illa dispositio vel nihil est, nisi integrum *Ubi* totius, vel ad summum addit figuram quamdam ipsiusmet *Ubi* ad prædicamentum qualitatis pertinentem. Nihil ergo novi apparet, quod possit esse situs». Et confirmatur, nam duplex est positio partium quantitativarum alia est positio partium in toto secundum se vel in ordine ad se, in eo consistens, quod in ipso toto quædam sint partes extremæ, quædam mediæ, et aliæ post alias in ipso corpore. Et hæc non addit supra quantitatem, nisi relationem partium inter se; secundum id vero, quod est absolutum, ad prædicamentum quantitatis pertinet. Altera est positio earumdem partium in ordine ad locum, quæ consistit in simili coordinatione earum secundum *Ubi* intrinsecum, nam extrinsecus locus non est necessarius ad hanc partium positionem (1).

Difficultas
explicandi situm

Ad hanc solvendam difficultatem plures inventæ sunt rei hujusce declarationes, quæ præclare expenduntur ab Eximio Doctore. Omnium tamen lucidissima est hæc, quam secundum doctrinam ejusdem P. Francisci Suarez, sic brevier proponit Lossada: «*Situs*, quatenus habet categoriam specialem, est *positio seu dispositio partium corporis in loco*: ex qua dispositione dicitur totum corpus habere figuram: situationem, quam explicamus per denominationes *stantis, sedentis*,

resolvitur.

(1) Suarez, loc. cit., n. 1.

cubantis, et similes. Positio ista realiter indistincta est ab ubicatione circumscriptiva: pertinet tamen ad prædicamentum diversum propter distinctionem rationis, et in ea fundamentum usum loquendi. Distinctio rationis in eo consistit, quod ubicatio, quatenus attinet ad prædicamentum *Ubi*, consideratur ut præstans rem esse *hic* vel *ibi*, cum certa distantia vel propinquitate ad polos mundi, vel ad alia loca; quatenus vero spectat ad prædicamentum *situs*, consideratur solum ut tribuens corpori figuram situalem. Usus autem communis habet, ut loquamur de ubicatione seu loco sine mentione situs: pariterque ut loquamur de situ, tam in genere, quam in specie, cum præcisione ab *hic*, et *ibi*, et a distantia vel propinquitate corporis ad certa loca. Idcirco, qui sedens vehitur navi vel equo, licet mutet locum, non dicitur mutare situm: et qui pedibus immotus, jam incurvatur, jam erigitur, licet situm mutet, non censetur mutare locum. Idcirco etiam diversæ reputantur quæstiones, *ubi est?* et *quo situ est?* nec eodem modo respondetur utrique. Latius tamen patet *Ubi*, quam *Situs*: nam hic solis convenit corporibus, præsertim heterogeneis, tum naturalibus, tum artificialibus, ut statuæ, vel domui; maxime vero convenit viventibus» (1).

Proprietates
Situs.

De speciebus hujus prædicamenti nulla videtur esse difficultas. Proprietates tres assignantur a Gilberto in suo Opusculo de *Sex Principiis* et ab Auctore *Summæ totius Logicæ Aristotelis*: prima est *non habere contrarium*: secunda, *non suscipere magis et minus*: tertia est *proxime assistere substantiæ*. Dæ prioris intelligendæ sunt sicut proprietates ubicationis. Nam licet una partium positio repugnet alteri, ut sessio statui, tamen hæc non est propria contrarietas, sed mera specifica diversitas, sicut etiam una figura repugnat alteri absque propria contrarietate. Potest autem attribui variis speciebus situs illa oppositio, quæ est inter terminos motus, quatenus homo ex stante fit sedens, et sic de aliis: nihilominus id etiam locum non habet primario ratione Situs ut sic, sed ratione *Ubi*, quia motus per se primo est ad *Ubi*. De alia vero proprietate assistendi substantiæ, censet Suarez illam

(1) Lossada, *Metaph.*, loc. cit., n. 125, 126. Cfr. Conimbricenses, *De Prædicam.*, cap. 9, quæst. 2, art. 1.

necessariam non esse, «quia etiam sub illo verbo assistendi comprehendamus omnem vel relationem aut denominationem, quæ non supponit propriam et rigorosam inhærentiam, immediatius assistit substantiæ corporeæ, de qua est sermo, *Ubi*, quam situs» (1).

378. Habitus hic exprimit eam significationem, secundum quam aliquid dicitur indui vel ornari per aliquid corpori adjacens, cujusmodi sunt vestes, aut arma tegentia, ut *lorica*, *galea* etc.: et ita definitur a Gilberto *corporum et eorum, quæ circa corpus sunt, adjacencia*. Quare subjectum maxime proprium determinationum, quæ ad hoc prædicamentum spectant, est solus homo, quippe qui solus inter animalia ex indigentia et naturæ instinctu vestibus utitur. Possunt tamen secundario subjecta hujusmodi denominationum esse animalia prout industria hominis induuntur aut armantur, ut equus v. g. vel simia, item statuæ, quæ more humano vestiuntur, templeque ac domus, quæ tapetibus ornantur et aulæis. Huc etiam revocari solent denominationes *deaurati*, *dealbati*, *igniti*, aliæque similes, quæ proveniunt ab una substantia alteri accidentaliter instar ornamentum superinducta.

Quid Habitus.

Jam denominatio hujus prædicamenti bifariam proponi potest: primo sic: *Habens vestem*, secundo sic: *Vestitum*. Et priori modo forma denominans est exercitium *habendi*, seu gerendi vestem, vel actualis habitio, et quasi unio vestis cum corpore: quo sensu scribere potuit Aristoteles (2), *habitus* esse medium inter eum, qui vestem habet, et vestem quæ habetur. Posteriori modo forma est vestis ipsa, quæ more formæ extrinsecæ, media sui adjacencia velut unione quadam, corpus denominat vestitum. Simili modo dum corpus denominatur *habens animam*, forma denominans est habitio seu unio: dum vero dicitur *animatum*, forma est anima ipsa. Porro habitio ipsa vel adjacencia vestis nihil est aliud, quam duplex ubicatio contigua, altera vestis, altera corporis, quæ licet sub munere locandi pertineat ad prædicamentum *Ubi*, sub munere tamen induendi vel uniendo

(1) Suarez, loc. cit., sect. 2, n. 5.

(2) Lib. 5 *Metaph.*, cap. 20.